

alias statutum fuit et *defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur*; Pius V. constituit: *Cum primum apostolatus* 1. April 1566.

Ecclesiae non debent fodi neque excavari pro sepultura, sed in sepulchris sive tumbis profundis infra terram christianorum cadavera sepeliri. Sacra Congreg. Episcop. et Regular. 23. Jul. 1603.

Fundana.

(Conc. Trid. c. 13. Sess. 25. De refor.)

Indecorum existimans Episcopus, quod in omnibus fere ecclesiis suae dioecesis abusus inoleverit passim effodiendi earumdem ecclesiarum pavimenta pro contumulandis defunctorum cadaveribus, de mense Aprilis anni 1706 inhaerens constitutioni fel. record. B. Pii V., quae incipit: *Cum primum Apostolatus*, prolato edicto vetuit, ut cadavera defunctorum non ibi collocarentur quam in tumbis profundis, ad hunc effectum destinatis, apposita poena ducat. 50. locis piis applicandorum aliisque corporalibus in contravenientes, ut ex tenore edicti. Contigit porro, ut de mense Julii praelibati anni, occasione obitus cujusdam mercatoris Antonini Micii, illius haeredes supplicem porrexerint libellum eidem Episcopo pro facultate excavandi pavementum ecclesiae collegiatae s. Mariae de Plataea, ad effectum ibidem intra capsulam recondendi praedicti defuncti cadaver et praedictus Episcopus in calce praefati libelli hoc rescriptum edidit: *Solutis prius actualiter in manibus camerariae collegiatae ducatis viginti, quorum sex inter Canonicos dividantur, reliqui vero in beneficium ipsius ecclesiae nostro arbitrio impendendi conserventur, facultatem concedimus juxta petita*. Renuentibus autem praedictis haeredibus persolvere majorem summam, quam consuetam ducatorum

sex ad beneficium Collegiatae, eaque jam per ejusdem Canonicos recepta, Episcopus reputans ex hoc suam episcopalem dignitatem spretam quorundam Canonicorum carcerationem demandavit, hinc iidem Canonici obtinuerint ab A. C. monitorium super mantentione cum inhibitione, etsi subinde, Episcopo instante, fuerit causa remissa a R. P. Auditore Sanctissimi ad hanc S. C. Super quibus informans Episcopus, eadem non inficiatur, sed lato calamo, tum edicti tum rescripti justitiam sustinere conatur, ut ex ejusdem relatione in summario exhibita; hinc concordatis infrascriptis dubiis, reverenter expetit ab EE. VV. oraculum pro declaratione:

I. *An Episcopo volenti concedere licentiam frangendi pavementum pro tumulandis cadaveribus licitum sit praetensam taxam ducatorum sex diminueri, augeri, seu etiam in totum tollere? Et quatenus augeatur ultra ducat. sex,*

II. *An exactio augmenti injungi possit, ut fieri debeat a Capitulo in casu etc.?*

S. C. C. resp. ad utrumque: Negative et servetur Bulla PP. Pii V.

Die 19. Maii 1708.

Spoletana.

(Conc. Tr. C. 13. Sess. 25. De ref.)

Intra Ecclesiam parochialem castri s. Felicis hujus dioecesis nonnisi duo sepulchra constructa extant certarum familiarum particularium cum jure privativo sepeliendi quoad alios, caetera autem defunctorum cadavera contumulantur in caemeterio prope eandem ecclesiam existen. nullo, ut dicitur, praestito emulumento Parocho; si quis vero inter eandem ecclesiam consepeliri cuperet, consueverunt Parochi exigere certam praestationem scutorum nempe trium pro adultorum

et juliorum 16. pro impuberum cadaveribus. De praetensa excessivitate hujusmodi exactionis conquesti sunt apud hanc S. C. communitas et homines castri, quam sane improbatum Episcopus informare requisitus plurimis cumulatis s. canonum et doctorum auctoritatibus in ejus relatione exhibend. in summar. Cumque ulterius communitas constituerit exaedificare intra eandem ecclesiam bina sepulchra pro universali commoditate, alterum pro viris, alterum pro mulieribus, et ex adverso renueret Parochus assentiri, nisi soluto certo emolumento pro suo jure, sub die 12. Febr. 1707 rescriptum fuit per S. C. Episcopo, qui conficeret taxam, auditis interesse habentibus, et transmitteret. Quibus pariendo Episcopus novis literis retulit sese processisse ad injunctam taxam decernendo, ut pro duobus tumulis ad communem vel plurium familiarium usum earumque expensis in ecclesia construendis Parocho scuta sex pro quolibet tumulo semel tantum et titulo elemosynae forent solvenda, ductus informans exemplo primodictarum familiarum, quae pariformem summam in constitutione suorum respective sepulchrorum charitatis intuitu exsolverunt. Concordatis itaque inter partes infrascriptis dubiis ex hinc inde deducendis humiliter petitur ab EE. VV. resolutio:

I. *An Parochus possit impedire constructionem tumulorum in ecclesia, de qua agitur? Et quatenus negative,*

II. *An sit confirmanda taxa confecta ab Episcopo in casu etc.*

S. C. C. resp. ad I.: Negative;

ad II.: Taxam esse augendam arbitrio Emmi Praefecti.

Die 24. Aug. 1709.

Prohiberi non potest, quin cadavera intra ecclesiam sepeliantur; sed alia

via arcendi sunt foetores. S. C. Ep. 3. Febr. et 16. Dec. 1603.

Damnati ad mortem sepeliri non debent in ecclesia magnae devotionis si inde populus concipit horrorem et occasionem ecclesiae minus frequentandae. S. C. Ep. 17. Mart. 1579.

Posse concedi licentiam erigendi sepulturam in *medio chori*, dummodo sepulchrum non emineat supra chori planitiem, neque imineat alteri constructo vel construendo in confessione. N. 674 die 20. Febr. 1627.

Valere reservationem sepulturae pro Alicornio et successoribus in ecclesia per ipsum aedificata existente intra fines Ecclesiae parochialis, reservata tamen quarta funerali debita parochiali Ecclesiae, nec posse prohiberi celebrationem missae in propria ecclesia diebus festis ante Missam parochialem. N. 805 die 31. Mart. 1629.

(Ad decr. n. 805.) Si Curatus requisitus hujus ecclesiae ab Alicornio aedificatae interesse recuset, posse in dicta ecclesia tradi sepulturae Alicornii et successorum cadavera sine ipsius interventu et licentia. N. 842 die 22. Decb. 1629.

Posse corpora defunctorum juxta eorum dispositiones vel haeredum voluntatem directe deferri ad ecclesiam, ubi sepelienda erunt, absque eo quod prius ad ecclesiam matricem deferentur, dummodo Curato jura et emolumenta solita sepulturae solvantur. Nr. 296 die 25. Febr. 1606.

Familia, quae a fundamentis exstruit capellam in Ecclesia parochiali eamque sufficienter dotat, non potest affigere inscriptiones virorum in dignitate ecclesiastica constitutorum ex eadem familia cum imaginibus et statutis ipsorum. N. 1292 die 2. Mart. 1641.

Licet confratribus et sororibus in oratorio eligere sepulturam, reservatis

Parocho emolumentis ad formam constitut. synodal. et juxta solitum. N. 3832 ad 11. Die 22. Novbr. 1710.

Vd.: *Sepultura* juxta altare; *Sepulchrum mort. in Ecclesia*. *Dedicatio Eccles.* (Sepulchra); *Sepult.* (locus, decr. de die 17. Mart. 1579); *Visit. de funerib.*

Nuscana.

Ad dub. 1.: An pro constructione novae sepulturae per Confratres societatis SSmi Rosarii oppidi Montellae factae in parochiali Ecclesia s. Nicolai satis fuerit licentia Episcopi vel potius requireretur expressa licentia Capituli Ecclesiae Collegiatae s. Mariae ejusdem terrae?

2. An electio sepulturae a dictis Confratribus Societatis SSmi Rosarii fieri possit in praedicta nova sepultura specialiter constructa in parochiali Ecclesia s. Nicolai pro Confratribus ejusdem Confraternitatis?

3. An cadaver Salvatoris de Nenna loco depositi conditum in sepultura veteri ejusdem parochialis Ecclesiae s. Nicolai sit humandum et sepeliendum in nova sepultura ab eodem Salvatore electa vel potius sit alio ferendum in casu?

S. C. C. resp. ad I.: affirmative quoad primam partem et negative quoad secundam;

ad II.: affirmative;

ad III.: affirmative quoad primam partem et negative quoad secundam.

Die 28. Jan. 1736.

Pius PP. V.

Ut in ecclesiis nihil indecens relinquantur Episcopi provideant ut capsae omnes et deposita seu alia cadaverum conditoria super terram existentia omnino amoveantur, prout alias statutum

fuit, et defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur.

Die 1. Apr. 1566.

(Bull. r. t. VII. p. 436. Ed. Aug. Taur.)

14) In Ecclesiis Confratern.

(Licita.)

Vd.: *Sepult. Confr.*

Ad dub.: An liceat confraternitati salutis terrae Medicinae sepelire in propria Ecclesia cadavera Confratrum et consororum, qui ibidem elegerint sepulturam et an ejusdem Capellanus absente Parocho valeat officium aliasque functiones super iisdem cadaveribus explere?

S. C. C. resp.: Affirmative ad primam partem et quoad secundam negative nisi Parochus vocatus renuat vel alium sacerdotem non substituat.

Die 28. Julii 1724 ad 9. Bonon.

Ad dub.: An in sepulchro confraternitatis in propria Ecclesia sito sepeliendi sit confratres, qui sine sepulturae electione decedunt? S. C. C. resp.: Negative. Die 13. Febr. 1666.

Ad dub.: An liceat in Eccles. confratern. habere sepulchra et respective possunt cadavera tumulari absque licentia parochi et in praedictum jurium parochi? S. C. C. resp.: Licere habere sepulchra accedente licentia Episcopi et posse in eis cadavera tumulari, si eligatur sepultura, absque licentia Parochi sed salvis juribus paroch. Die 10. Maii 1727.

15) In Eccles. Monialium.

Vd.: *Sepult. Regul.*; *Visitat. de funerib.*

Excipiuntur Ecclesiae monialium, in quibus non possunt construi nec eligi sepulturae a laicis seu saecularibus utriusque sexus absque speciali licentia S. Congregationis et co-

putativa monialium. Sic pluries decrevit S. Congr. Episc. et Regul. et signanter in Montefeltrin. 21. Novbr. 1603 in Gravinen. 1. Octobris 1650 his verbis: „Nella Chiesa anco esteriori delle Monache non si possono sepelire esteri, e forestieri, ne uomini, ne donne, ne anco Principi, ancorche vi fossero sepolti i loro Maggiori.“ Sic ex *Pignatell.* tom. 4. consult. 117. n. 1. refert et tenet *Card. Petra* n. 29. Idem decrevit in Forosempronien. 25. Augusti 1652 et in Maceraten. 8. Novembris ejusdem anni; quae decreta bene ponderata iterum probavit eadem S. Congr. Episcop. et Regul. in Vercellen. 18. Maii 1695 non obstante solito, referente Eminentis. Pamphil. et in Mantuana 14. Mart. 1697, ponente Eminentis. Acciajolo, et in Camerinen. 6. Mart. 1713, ponente Eminentis. Corsino ex post summo Pontifice sub nomine Clementis XII., et saepe alibi teste Ursaya tom. 1. p. 1. discept. 36. n. 18.

Solet tamen concedi licentia in S. Congregatione tam pro construendo sepulchro quam pro eligenda sepultura in Ecclesiis monialium, ut declaravit requiri in Ferrarien. 13. Julii 1660 pro personis benemeritis vel cum eleemosyna competenti: Ead. S. Congr. Episcop. et Regul. in Messana 6. Augusti 1601 in d. Camerin. 6. Martii 1713, ponente D. Eminentis. Corsino. Et tunc officium facit Parochus usque ad portam Ecclesiae et non ultra, exequias complente ex post confessorio monialium: Ead. S. Congr. Episcop. et Regular. in una observantium 9. Junii 1615 et S. Congr. Conc. 19. Mart. 1639 teste Ursaya tom. 1. part. 1. disc. 8. n. 13., 27., 28., 29. et 30.

In casu autem, quod quis electa sepultura in Ecclesia monialium non posset defectu licentiae in ea sepeliri, tunc, si is non haberet sepulchrum majorum, deberet sepeliri in Parochiali

per dicta et jura adducta supra n. 93. et in terminis tenent *Passerin.* de statib. hom. t. 2. q. 187. art. 4. n. 260., et *Card. Petra* l. cit. n. 33. in fine dicentes, si impedimentum esset temporaneum et speraretur obtinenda licentia, posset tunc expectari, deposito cadavere in aliquo loco: *Matthaeucci* 5. et alii.

Quaeres: *utrum eligi sepultura etiam possit in ecclesiis monialium?* *Affirmant* Samuel, Marga, Gonzalez, Tellez, Ventriglia; quod concedunt de Ecclesia exteriori, quamvis de interiori, scilicet intra septa monasterii, negent. Sed dicendum, neque in Ecclesia exteriori monialium eligi sepulturam aut recipi corpora defunctorum posse absque licentia S. Congregationis. Et profecto valde contradicit monialium sexui ac statui talis tumultatio mortuorum in earum Ecclesiis etiam exterioribus, ne turbentur in earum quiete ab officio in funeralibus ibi necessario faciendo et quidquid sit in puncto juris, expresse declaratur a S. Congregatione Episcoporum et Regularium in Maceraten. 8. Novbr. 1652 scilicet, quod corpora laicorum, sive virorum fuerint sive mulierum, nequeant sepeliri in Ecclesia exteriori monialium, licet solvere vellent poenam synodalem, et ad talem effectum saltem requiritur licentia S. Congregationis nec non consensus monialium, ut in Feretana 21. Novbr. 1603, et eadem S. Congregat. in Forosempronien. 23. Aug. 1652 scripsit Episcopo: Essendo portata la notizia a questa S. C. che si pensi di sepellire il cadavere di d. Marchionne moglie del Cirusico di cotesta citta nella Chiesa delle Monache die S. Bernardo, dove si ha eletta la sepoltura, questi Eminentissimi miei signori mi hanno comandato di avvertire a V. S. che essendo cio contro i Decreti della medesima S. Congregatione, non lo permetta in verum

modo senza expressa licenza dell' Eminenze loro, et in Gravinen. 1. Octobris 1650: Nelle Chiese, anche esteriori delle Monache, non si possono seppellire esteri, e forestieri, ne uomini, ne donne, ne anco Principi, ancorche vi fossero sepolti i loro maggiori... Quare cum dictae declarationes sint maximae auctoritatis omniaque Tribunalia eas recipiant, praesertim sacra Rota, ut est notum, tollunt proinde omne dubium... (et) cum emanaverint praefata decreta per viam peculiaris dispositionis... videntur cessare omnia privilegia, non obstante consuetudine, nisi sit immemorabilis vel quadragenaria cum titulo. Immo ex declaratione S. Congregationis praedictae in Sarzanen. 29. Novbr. 1622 tenerentur moniales restituere corpora defunctorum in earum Ecclesiis tumulata, si petantur, et omnia, quae per ceperunt, praesertim si non fuerint commixta cum aliis ossibus, necnon annum legatum Ecclesiae tumulanti relictum, ut in Mediolanen. 17. Febr. 1583, 13. Juli 1618 et 5. Juli 1647. Ita Cardinalis Petra comment. ad Constit. Apost. tom. 2., comment. ad Constitut. 3. Coelestini 111. sect. 1. n. 29.

Quod si quis decederet electa sepultura in Ecclesia monialium, sepeliendus erit in sepultura majorum vel, si talem non habeat, in Parochiali ac si nullam elegisset sepulturam. „Nam cum electio sepulturae non possit sortiri effectum, perinde se habet ac si non elegisset, 1. si quis sub condit. ff. de test. tutor. et l. ex sensu §. 1. ff. de appellat., ac proinde subintrat dispositio legis, cessante dispositione hominis.“ Haec Pignatell. tom. 4. consultat. 177. n. 11.

Prohibitio quod de cetero nulla corpora defunctorum, praeterquam regalia, in choris et aliis locis intra septa et clausuram monasteriorum

monialium in regnis Hispaniarum sepeliri valeant.

Sixtus PP. V., servus servorum Dei, dilecto filio nostro et Sedis apostolicae in partibus Hispaniarum commoranti, cum potestate legati de latere nuntio, salutem et apostolicam benedictionem.

Circa pastoralis officii curam nobis, meritis licet imparibus, desuper commissam, quantum nobis ex alto permittitur, invigilantes, assidue ad ea, per quae perniciosis abusibus et exinde provenientius scandalis obvietur, ac in monasteriis singulis, praesertim foeminei sexus, debita clausura servetur et sanctimonialium in eis sub religionis jugo Christo Salvatore in castitatis holocausto famulatum affectantium quieti et animarum saluti consulatur, libenter intendimus ac in his nostrae vigilantiae partes propensius impartimur, prout in domino salubriter expedire conspicimus.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, nonnullae personae laicae in regnis Hispaniarum degentes saepius eo temeritatis deveniant ut, sub praetextu quod alias suorum defunctorum corpora in certis eorum capellis seu monialium choris vel aliis locis intra septa et clausuram monasteriorum monialium s. Augustini vel alterius ordinis, sub cura et regimine fratrum et superiorum ordinis fratrum praedicatorum viventium, existentibus, sepelire seu deponere consueverint, ab huiusmodi scandaloso abusu desistere non curantes, murum chori ecclesiarum monasteriorum huiusmodi pro introducendis cadaveribus rumpere et clausuram huiusmodi violare praesumant, in non modicum christifidelium scandalum,

§. 2. Nos, pro nostri pastoralis officii munere, scandaloso abusui et pernicioso exemplo huiusmodi obviare ac monasteriorum clausurae et monialium in illis degentium quieti et ani-

marum saluti, quantum cum Deo possumus, providere volentes ac certam de praemissis notitiam habentes motu proprio, non ad alicujus desuper nobis oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, discretioni tuae per apostolica scripta committimus et mandamus ut auctoritate nostra prohibeas et statuas, quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, nulla prorsus defunctorum corpora, praeterquam regalia, in choris, capellis, capitulis vel aliis locis intra septa ecclesiarum huiusmodi existentibus, quovis praetextu aut colore sepeliri aut deponi, perpetuo vel ad tempus, neque tumbae aut sepulturae intra septa et clausuram huiusmodi, cum stemmatibus aut insignibus vel alias quomodolibet, exceptis regalibus, fieri aut construi vel refici possint aut valeant quoquomodo.

§. 3. Et quod de praesenti forsitan constructae ex dictis locis *intra clausuram huiusmodi existentibus, penitus et omnino amoveri et ad alium locum in ecclesiis monasteriorum praedictorum, extra tamen clausuram, arbitrio superiorum praedictorum et partium interesse habentium transferri debeant.*

§. 4. *Si quae vero capellae, etiam ad aliquas particulares personas quovis jure spectantes, intra eandem clausuram reperiantur, ad quas, pro defunctorum corporibus inibi sepeliendis, ex ipsa ecclesia non nisi diruto muro pateat ingressus, earumdem capellarum januae, quae de praesenti intra eandem clausuram aperte existunt, occludi, et illis penitus clausis alia ostia extra clausuram huiusmodi in eadem ecclesia aperiri et fieri debeant, ita quod pro ingressu capellarum huiusmodi vel alias quomodolibet nullo modo eadem clausura de cetero violetur.*

§. 5. Ac etiam ita in futurum, sub excommunicationis majoris latae sententiae ipso facto per contravenientes

incurrendae poena, a qua non nisi per Nos aut successores nostros romanos Pontifices pro tempore existentes absolvi possint, perpetuo observari eadem auctoritate praecipias et mandes, monialesque et conventus monialium seu domorum huiusmodi super praemissis a quoquam, etiam praetextu cujuscumque consuetudinis, etiam immemorabilis, quam eadem auctoritate revoces et annulles aut alias quovis colore nullatenus molestari, perturbari aut inquietari posse; necnon quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernas, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna juris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Datum Romae apud S. Petrum die 7. Maii 1586.

(Bull. r. t. VIII. p. 701. Ed. Aug. Taur. 1863.)

Feretrana.

Quaestio inter Jos. Angelum Calbinum Archipresbyterum sive Parochum loci Maceratae Feltriae ac moniales s. Clarae ejusdem loci novissime est orta: num licuerit praefatis monialibus tumulare in Ecclesia sui monasterii cadaver Puellae Annae Bartolli Fanensis dioecesis, quae in eodem monasterio, dum degebat educationis causa, decessit, vel potius ea sepelienda foret in Ecclesia parochiali, intra cujus limites monasterium ipsum est situm?

Binis potissime rationum momentis probare nititur memoratus Archipresbyter non nisi cum manifesta jurium

suorum violatione praefatum cadaver traditum fuisse sepulturae in enunciata monasterii Ecclesia; primo nimirum ex juris praescripto, quo monialibus omnino interdictum est, quascumque laicas personas in suis Ecclesiis sepelire vel pro Laicis sepulchra construere, ut communiter tradunt *Nicol. in Flosc. verb.: sepultura n. 5., Matthaeuc. in official. cur. Eccl. verb.: offic. quoad sepultur. cap. 48. n. 4., Monacell. form. leg. pract. tom. 1. formul. 22. tit. 11. n. 5. tom. 2. et alii passim, quod adeo verum esse auctoritatibus, ut nullius etiam consuetudinis praetextu id jus moniales queant sibi adsciscere ex adductis per *Ursayam* in instit. crimin. lib. 3. tit. 8. de crim. viol. sepult. n. 65., *Pignatell. cons. 175. n. 4. tom. 4. Secundo vero ex addit. ad statuta Cleri rom. in cap. 3. de jure eligendi sepulturam ad §. 9., ubi habetur, quod puellae sive quaelibet alia persona laica, quae vel famulatus vel alia quacumque causa in monasteriis sive virorum sive monialium decedunt, tumulandae sint in sepulchro majorum, si habeant, sin minus, in Parochia, sub qua degit monasterium.**

Contra vero moniales (juxta ea, quae ipsis auditis sacrae huic Congregationi rescripsit Episcopus) asserunt sibi jus tumulandi cadavera puellarum intra monasterii septa morientium, non solum quia Puellae istae aequae ac moniales prorsus exempta sint a quibuscumque juribus Parochorum, proptereaque non a Parocho sed a proprio confessario Sacramenta percipiant, verum etiam quia duplex jamdiu in ipsa Ecclesia sepulchrum reperitur extractum, alterum scilicet pro monialibus, alterum vero pro Puellis, quae ibidem educationis causa commorantes forte decedant. Addunt ulterius id etiam confirmari ex consuetudine Feretranae dioecesis a nonnullis,

quae proferuntur, exemplis comprobata, juxta quam ejusmodi Puellarum cadavera in monasteriorum Ecclesiis sepulta sunt nullo Parochis tradito funeris emolumento. Has autem ob rationes Episcopus ipse ita concludit: „Crederei che per questi motivi, e per quello dell' esenzione de monastero dalla giurisdizione parochiale abbino potuto esse monache sepelire l'Educanda defonta independentemente dal Paroco, ne potersi da questo pretendere aliana quantita dicera, e neppure la Quarta, che solo vien dovuto per ragione delli amministrati Sagramenti.“

De simili controversia actum fuit in una Pennen. sepultura 6. Julii 1737 (ubi tamen ea concurrebat peculiaris circumstantia quod Puella sepulturam elegerat in Ecclesia monasterii) et propositis hisce dubiis:

I.: An licuerit tumulare cadaver Mariae Nolli in Ecclesia monial. s. Clarae civitat. Pinnae? et quatenus negative;

II.: An sit locus exhumationi et respective restitutioni dicti cadaveris una cum funeris emolumentis favore Ecclesiae Collegatae et Parochialis s. Joannis Evangelistae ejusdem civitatis in casu?

S. C. rescripsit ad I.: affirmative;

ad II.: provisum in primo et amplius. Eandem vero quaestionem late pertractant doctores in folio illius causae adnotatis, quibus addi potest *Scarfonton. ad Ceccoper. part. 3. addit. 48. n. 58 et seq.*

His itaque perspectis grave non erit Eminentissimis PP. respondere:

I. An Ven. monasterio monialium s. Clarae terrae Marceratae Feltrinae liceat sepelire in ejus Ecclesia cadavera Puellarum educationis causa ibidem commorantium et in eodem monasterio decedentium? Et quatenus negative;

II. An sit restituendum Parocho ejusdem terrae cadaver Annae Bartoli educationis causa in dicto monasterio degentis ibique defunctae et sepultae, sive saltem facienda sit declaratio de ea retinenda nomine Parochiae?

III. An eidem Parocho restituenda sint una cum cera integra emolumenta funeris ejusdem Annae Bartoli in casu?

S. C. resp. ad I.: Affirmative constituto de electione sepulturae.

Ad II.: Negative.

Ad III.: Deberi quartam funeralem tantum.

Die 21. Apr. 1742.

16) In Ecclesia Regularium.

Vd.: *Sepult. (facienda a Regul.; intr. eccl.; Regular.)*

Bituntina.

In causa Bituntina juris sepulturae in S. Rituum Congregatione vertente inter Capitulum et Canonicos ecclesiae Cathedralis ex una et Clericos regulares ejusdem civitatis ex altera partibus, quae ab eadem S. Rituum Congregatione Illmo et Rmo D. Cardinali de monte commissa fuerat, coram eodem Illmo et Rmo D. Cardinali ambae partes convenerunt et ad evitandas lites et pro majori quiete ambarum partium et totius civitatis Bituntinae ad hanc concordiam devenerunt, nempe:

„Quod si quis in ultima ejus voluntate voluerit seu mandaverit post ejus mortem corpus suum sepeliri in ecclesia s. Nicolai dictorum regularium Clericorum, in arbitrio Capituli et Canonicorum sit, illud associare vel non associare usque ad ecclesiam praedictam, sed si illud associent, non debeant dicti Canonici et Capitulum officium facere sed associato corpore usque ad portam ecclesiae praedictae ad Cathedralam redire.

Quod si Capitulum et Canonici praedicti nullo modo praedictum corpus

defuncti ad ecclesiam praedictam Clericorum regularium associare voluerint, possint illud associare una tantum religio fratrum seu regularium et una tantum societas seu confraternitas Laicorum eligenda in testamento defuncti vel haeredum ipsius arbitrio. Quae religio et confraternitas associato corpore ad praedictam ecclesiam Clericorum regularium redire debeant ad proprias ecclesias, relinquendo curam officium faciendi circa corpus defuncti in ecclesia praedictis Clericis regularibus.

Quod quando Capitulum et Canonici praedictae ecclesiae Cathedralis corpus defuncti, ut supra, associabunt usque ad portam ecclesiae dictorum Clericorum regularium, licet in ecclesiam non ingrediantur nec circa corpus officium faciant, teneantur dicti Clerici regulares dare dictis Canonicis et Capitulo medietatem totius cerae, quae pro funere defuncti paratur, tam funalium seu intortiorum, quae circa corpus defuncti deferuntur a domo defuncti usque ad ecclesiam praedictam, quam aliorum omnium funalium et candelarum, quae erunt in ecclesia praedictorum Clericorum regularium tam super altare quam circa corpus defuncti in die funeris, sicut solent dicti Canonici et Capitulum habere in omnibus aliis ecclesiis regularium, ad quas defunctorum corpora associant et circa ea officium faciunt juxta ejusdem Capituli et Canonicorum immemorabilem consuetudinem, attento quod si in ecclesia dictorum regularium Capitulum et Canonici praedicti non ingrediantur nec officium facient per eos non stabit.“

Et haec omnia concorditer et pacifice ambae partes tam dictorum Capituli et Canonicorum quam dictorum Clericorum regularium acceptaverunt, citra tamen praesudicium quoad Capitulum et Canonicos omnium jurium spectan-

tium ipsi Capitulo et Canonicos, quoad alias religiones, juxta constitutiones et immemorabilem consuetudinem ipsius Capituli et Canonicorum, quibus non intelligatur aliquod praejudicium per hanc concordiam inferri super officatura et jure sepulturae aliarum ecclesiarum regularium.

Quae quidem concordia ab Illmms et Rmmis DD. Cardinalibus in plena Congregatione fuit approbata et ab S. Congregatione mandatum, ut in posterum in perpetuum in dicta civitate Bituntina observetur; et ita censuit et declaravit.

Die 21. Februarii 1604.

(Anal. J. P. 1863 p. 29. n. 109.)

Urbanus PP. II. Petro abbati coenobii Cavensis.

Si quis ad eundem locum vel ejus ecclesias sibi sepulturam elegerit, licitum sit tibi tuisque successoribus et fratribus in ecclesiis ipsius coenobii commorantibus, ipsum in suo coemeterio sepelire absque cujuslibet contradictione, dummodo christianus et catholicus habeatur.

Die 14. Septbr. 1092.

(Bull. r. t. II. p. 145. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Urbanus PP. II. Bernardo abbati Rivipolensi.

Sepulturam sane ejusdem loci omnino liberam esse decernimus, ut eorum, qui illic sepeliri deliberaverint, devotioni et extremae voluntati, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat.

Die 16. Juli 1096.

(*Ibid.* p. 171.)

Paschalis PP. II. Heinricho abbati Admontensi dioec. Salisb.

Sane sepulturam ejusdem loci omnino liberam esse decernimus, ut eorum,

qui illic sepeliri deliberaverint, devotioni et extremae voluntati, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat.

Die 25. Oclbr. 1105.

(*Ibid.* p. 240.)

Innocentius PP. II. Gotifredo abbati Admontensi dioec. Salisb.

Sane sepulturam ipsius loci liberam esse censemus, ut qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi excommunicati sint, extremae voluntati eorum nullus obsistat.

Die 13. Apr. 1139.

(*Ibid.* p. 435.)

Innocentius PP. III. abbati Averbatiensi.

Sepulturam ejusdem loci omnino liberam esse concedimus, ut videlicet eorum, qui illic sepeliri deliberaverint, devotioni et extremae voluntati, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat.

Die 16. Apr. 1139.

(*Ibid.* p. 437.)

Innocentius PP. II. abbatissae s. Ambrosii Florent. dioec.

Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni et extremae voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat, salva tamen justitia matricis ecclesiae.

Die 12. Maii 1141.

(*Ibid.* p. 453.)

Innocentius PP. II. Gregorio abbati s. Barthol. dioec. Fesul.

Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut quicumque se illic sepeliri decreverint, nisi forte excommunicati fuerint, eorum devotioni et extremae voluntati nullus obsistat, salvo tamen jure matricis ecclesiae.

Die 22. Septbr. 1141.

(*Ibid.* p. 456.)

Lucius PP. II. Guidoni abbati s. Joannis Parmen. dioec.

Sepulturam ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum, qui se illic sepeliri deliberaverint, extremae voluntati et devotioni nullus obsistat, nisi fuerint excommunicati; salva tamen justitia matricis ecclesiae suae.

Die 7. Martii 1144.

(*Ibid.* pag. 485.)

Eugen. PP. III. Gebhardo Praeposito Ecclesiae Widberg.

Sepulturam ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum, qui se illic sepeliri deliberaverint, devotioni et extremae voluntati, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat; salva justitia matricis ecclesiae.

Die 23. Decembris 1146.

(*Ibid.* pag. 536.)

Hadrianus PP. IV. Roccho Praeposito s. Constantii de Urbe veteri.

Sepulturam ipsius loci liberam esse sancimus, ut eorum, qui illic sepeliri deliberaverint, devotioni et extremae voluntati, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia ecclesiarum, unde assumpti fuerint.

Die 15. Octobris 1156.

(*Ibid.* pag. 635.)

Adrianus PP. IV. Megenardo Praeposito Renshovensis Ecclesiae.

Sepulturam ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni et extremae voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat: salva tamen justitia matricis ecclesiae.

Die 29. Januarii 1157.

(*Ibid.* pag. 638.)

Alexander PP. III. Raymundo abbati Monasterii Cannigonensis.

Sepulturam ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni et extremae voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti fuerint, nullus obsistat: salva matricis ecclesiae justitia aliarumque ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur.

Die 10. Junii 1163.

(*Ibid.* pag. 681.)

Confirmatio nonnullorum decretorum pro associandis et sepeliendis cadaveribus in ecclesiis Regularium factorum.

Clemens Papa X.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper pro parte dilecti filii Alphonsi de Alarcos Presbyteri regularis Procuratoris generalis provinciarum Hispaniarum et Indiarum societatis Jesu, Congregationis venerabilium fratrum nostrorum s. romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae exposito, quod eadem Congregatio die 7. Decembris 1640 ad instantiam Commissarii Curiae fratrum ordinis minorum s. Francisci de observantia nuncupatorum declaravit, Parochos et Presbyteros terrae de Levano ac alios dioecesis Brundusin. non posse accipere majorem eleemosynam pro defunctis, qui sepelirentur in ecclesiis fratrum, quam accipiebant ab iis, qui sepeliebantur in ecclesiis dictorum Parochorum et Presbyterorum saecularium, et deinde 31. Augusti 1657 ad instantiam fratrum provinciae Dalmatin. ejusdem ordinis declaraverat, functiones funerales super cadaveribus defunctorum, quae sepelirentur in ecclesiis Regularium, postquam ipsa cadavera ad ecclesias ipsorum Regularium pervenissent, ad eosdem Regu-